



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. V. Ostenditur, totam, quæ in peccato est, malitiam homini, eiusque libero arbitrio, & non Deo, nec diuinæ illius voluntati attribuendam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Dei lex, amor ineffabilis, quo nos prosequitur, & immensum, quod habet, salutis nostræ desiderium, vt non iudicemus peccatum æternâ damnatione dignum illud, in quo deliberatus, quem declarauimus, consensus deest.

Ostenditur, totam, quæ in peccato est, malitiam homini, eiusque libero arbitrio, & non Deo, nec diuina illius voluntati attribuendam, &c.

C A P. V.

VNa ex rebus, quas sacræ litteræ, at naturalis lex de Deo docent, est, nec peccare eum, nec posse peccare, neque velle peccatum, neque posse illud velle, neque peccati authorem esse, neque esse posse. Sic David dicit cum Deo loquens; *a Non Deus volens nec approbans iniquitatem tu es.* Et in libro Iob Eliu naturali lege doctus, & in hoc à Spiritu Sancto illuminatus, *b abest, inquit, à Deo impietas, & ab omni potente iniquitas.* Omnia enim opera, quæ

a Ps. 5. 5. b Iob 34. 10.

quæ Deus fecit in principio mundi, valdè bona sunt, vti diuina Scriptura testatur, dicens: *a Vidit, approbavitque Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valdè bona.* Et omnia cetera, quæ fecit, faciétque omni tempore, valdè iusta, & sancta sunt: nam, vt Psalmista ait, *fidelis, ac verax est Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus, ac purus in omnibus operibus suis.* *b* Sunt itè omnia Dei opera valdè completa, atque perfecta, quemadmodum Moyse testatur in suo cantico, dicens: *c Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iustæ; & ipse est fidelis, & absque vllâ iniquitate, iustus, & rebus.* Cum ergo omnia Dei opera bona, perfecta, sanctaque sint, & sciamus, peccatum opus malum, & imperfectum, ipsamque iniquitatem, & imperfectionem esse, clarum est, peccatum non esse, nec posse esse opus Dei. Præterea Deus amat omnia, quæ fecit, nec quicquam eorum odio habet, sicuti Sapiens testatur, dicens

B 4

Deo:

a Gen. 1. 31, b Ps. 144. 13, c Deut. 32. 49

Deo: *a* Diligis omnia, quae sunt, & nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. Quoniam scimus Deum summè odisse peccatum, & iniquitatem, & hominem malum, ac peccatorem, in quantum malus est, sicut affirmat diuina Scriptura multis in locis, inter quæ Sapiens, odio sunt, inquit, Deo impius & impietas eius. *b* Et Achior diuinitus illuminatus, in libro Iudith ait: *c* Deus Israël, qui verus est Deus, odit iniquitatem: *d* Et Altissimus (vt Ecclesiasticus loquitur) odio habet peccatores; euidenter sequitur, Deum non esse, nec posse esse causam peccati, neque causam, vt homo peccet, & sit malus; cum, vt ipsa docet Scriptura, nihil oderit eorum omnium, quae fecit: & oderit peccatum, quod ipse non fecit. Quandoquidem ergo Deus peccati causa non est, videamus, quis author illius, & causa sit. Solus homo, qui peccat, causa, & author

a Sap. 11. 25. *b* Sap. 14. 9. *c* Iudith 5. 21.
d Eccl. 12. 3.

thor peccati sui est; ipsi soli iniquitas, quam committit, attribuitur. Sic affirmat Deus per Oseam, cum populo suo loquens: *a Perditio tua, Israël; ex te illam, dum peccas, habes. Et per Ieremiam dicit Dominus ad Ierusalem: b Tu reliquisti me: retrorsum abiisti per peccata tua. c Nemo (inquit S. Iacobus) dicat, quoniam à Deo ad peccandum tentatur; ac mouetur; Deus enim neminem tentat, nec ad peccandum mouet: Vnusquisque vero, quando ad faciendum aliquod peccatum tentatur, à suâ, ipsius concupiscentiâ, id est, malâ inclinatione, suâque propriâ voluntate mouetur, & abstrahitur. Atque hoc ipsum significauit Christus, de Diabolo dicens: cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: d loqui mendacium, fructus est in ipsius horto nascens; id pro suo proprio, ac peculiari officio habet. Et de quolibet peccatore loquens, ait: e qui à semetipso loquitur.*

a Os. 13. 9. b Ier. 15. 6. c Iac. 1. 13. d Ioannis 8. 44. e Ioannis 7.

er, motus à suo proprio spiritu, & à
 propriâ voluntate suâ, & non à Deo,
gloriam propriam querit; id est, qui pec-
 cat, vanè temporalem suam gloriam
 quærendo, à seipso ad peccandū mo-
 uetur. Pro huius veritatis intelligen-
 tiâ notandum est, in peccato duas res
 esse, vna est opus, quod homo facit,
 quod habet esse, & substantiam, enti-
 tatemque realem, quæ vocatur pars
 materialis peccati, vt est eleuare, ac
 regere manus, ijsque percutere, & vul-
 nerare, quando quis homicidium com-
 mittit; & regere linguam, ac loquelam,
 quando falsum testimoniū dicit. Hoc
 opus consideratum duntaxat secun-
 dùm esse naturale, & substantiam rea-
 lem, quam habet, non est malum, ne-
 que peccatum; & sic Deus, qui est au-
 thor omnium rerum, quæ esse, & sub-
 stantiâ habent, est causa huius operis;
 nam, vt S. Ioannes ait, *sine ipso factum*
est nihil. a Altera res, quæ in peccato
 est (vocando rem id, quod est priuatio
 rei)

a Ioannis 1.3.

rei) est privatio, & defectus bonitatis, rectitudinis, & conformitatis cum lege Dei, quem deberet tale opus habere, & homo ipse, qui id facit: *a* atque in hoc, quod vocatur formale peccati, consistit tota malitia, & deformitas peccati; & actuale opus, quod homo facit, propterea dicitur malum, & peccatum, & verè est, quòd sit obnoxium huic defectui bonitatis, ac rectitudinis, quòdque infectum sit hac deformitate, eique coniuncta hæc privatio, & defectus bonitatis. *b* Hoc Sancti affirmant, colliguntque ex Scripturâ divinâ, & ratione naturali, dicentes, peccatum non esse substantiam, nec naturam creatam, sed bonitatis privationem, atque defectum. *c* *Malum* peccati, inquit S. Dionysius Areopagita, est infirmitas, & inconcinnitas, privatio, & defectus sapientiæ, ac bonitatis. Et

C 6 S. Ba-

a D. Th. l. 3. cont. gent. c. 9. P. 1. q. 48. a. 1.
1. 2. q. 79. a. 2. Alex. p. 2. q. 4. memb. 2.
b D. Bonau. 2. d. 34. q. 3. *c* D. Dion. c. 4.
de div. domin.

S. Basilius declarans, quid sit peccatum, ait: *a peccatum, seu malum culpæ, boni alicuius privatio, & defectus est.* Loquendo de peccato, quoad hunc defectum, ac deformitatem, in quâ tota peccati malitia consistit, intelligitur, quod Scriptura dicit, sanctique docent, Deum non esse auctorem, nec causam peccati, nec esse posse, sed solum hominem peccati, quod facit, auctorem esse, solamque liberam voluntatem, quatenus est potentia, & facultas defectiua, causam esse peccati. Atque hoc significant Theologi, dicentes, peccatum non habere causam efficientem, sed deficientem: quia voluntas non causat peccatum quoad virtutem, & efficaciam, quam habet, ad operandum, sed quoad debilitatem, quam habet ad deficientem in bono, quod facere deberet. Id explicat S. Augustinus, dicens: *b Omne bonum ex Deo est:*

a D. Bas. hom. 9. quod Deus non est auctor malorum. b D. Aug. l. 2. de lib. arbit. ult. & l. 11. de ciuit. Dei. c. ult. l. 2. de peccator. o. 5.

est: nulla ergo natura est, qua non sit ex Deo. Motus ergo ille auersionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autē defectus ex nihilo est, ad Deum non pertinere non dubites. Et alibi, ad peccandum, inquit, non adiuvamur à Deo, iusta autem agere, vel iustitiæ præceptum implere non possumus, nisi adiuvemur à Deo. Sicut enim corporis oculus non adiuuatur à luce, ut ab eadem luce clausus, auersusq; discedat; ut autem videat, adiuuatur ab eâ, neq; hoc omnino, nisi adiuverit, potest: ita Deus, qui lux est hominis interioris, adiuuat nostræ mētis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum eius iustitiam, boni aliquid operemur. Si autem ab illo auertimur, nostrum est. Hæc est communis omnium Sanctorum sententia, quàm ceteris clariùs, distinctiùsque S. Anselmus explicat his verbis: a Non est iniustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantum absentia debita iustitiæ; nec est, nisi in voluntate, ubi debet esse iustitia. Omnis

C 7

quip-

a D. Ans. l. de concordia præscientiæ c. 1.

quippe qualitas, vel omnis actio, & quicquid aliquam habet essentiam, à Deo est, à quo est omnis iustitia; qui in bonis quidem facit, quòd sunt, & quòd bona sunt; in malis verò facit, quòd sunt, sed non quòd mala sunt. Hæc S. Anselmus. Atque in hunc modum intelligitur, Deum non esse causam peccati. Notandum præterea est, non solum deformitatem, ac privationem boni, quæ est pars formalis peccati, à Deo non esse, sed etiã ipsum opus, & operationem realem, quam materialem peccati partem vocamus, licet in quantum res quædam naturalis, ac positiva, & realis entitas est, à Deo sit, vti diximus, consideratam tamen, in quantum est pars materialis peccati, & in quantum subiecta est deformitati, defectuque bonitatis, & rectitudinis, non esse à Deo, sed ab humana voluntate. *a* Et in hoc sensu bene aliqui dicunt, Deum peccati causam non esse, nec quoad formalem partem, nec quoad materialem, cum

neque

a Molin. p. 1. q. 14. a. 13. disp. 7.

neque defectus causa sit, neque operis, in quantum ex eo culpæ deformitas resultat. Docet hoc S. Thomas hisce verbis: *a Actiones male secundum quod deficientes sunt, non sunt à Deo, sed à causis proximis deficientibus: quantum autem ad id, quod de actione, & de entitate habent, oportet, quod sint à Deo: sicut claudicatio est à virtute motuâ, quantum ad id, quod habet de motu; quantum vero ad id, quod habet de defectu, est ex curvitate cruris.* Sic perspicuum manet, totam peccati malitiam, & gravitatem homini, ac defectui voluntatis eius attribuendam esse. Ex huius veritatis cognitione Fideles vniuersi documentum magni ad virtutem, salutemque animæ momenti colligent, videlicet, ne quis peccatum suum excuset, neque defendat, neq; culpam in alium conijciat, neque de vilo conqueratur, sed accuset seipsum, sibiq; ipsi totam culpam ascribat, seipsum repræhendat, atque

*a D. Th. contra gent. l. 3. cap. 71. §. 7.
Ferrar. ibi.*

atque condemnet, & de seipso conqueratur; cum certum sit, solum, qui peccat, hominem propriè peccati sui auctorem, & causam esse. Quamvis enim verum sit, Dæmones tentationibus sollicitare animas ad peccandum, & homines per iniurias, quas faciunt, occasiones, motiuâque ad offendendum Deum præbere, tamen homo semper habet integram libertatem, & sufficiens Dei auxilium ad non consentiendum hisce tentationibus, neque sinendum se vinci ab istis occasionibus, & si consensit, seque vinci fuit, ipsius culpa est, ipsius peccatum, siquidem liberè, & voluntariè consensit, atque victus est. Et si restitisset, neque vinci se passus esset, non solum se à culpâ liberâisset, sed etiam magnam utilitatem, ac mirificum lucrum inde pro animâ suâ retulisset: neque solum tentationes Dæmonum, & hominum iniuriæ nihil ei nocuissent, sed etiam valdè vtilis, & salutiferæ fuissent: Neque tantum ipsum non impulissent in

pec-

peccatum, sed etiam per eas ampliùs
in virtute, meritisque profecisset, & in
sanctitate, vitæque exemplo clarior,
& admirabilior extitisset: quemad-
modum videmus in sancto Tobiâ, in
casto Iosepho, in Prophetâ Daniele,
& in omnibus Christi Apostolis, ac
Discipulis, Martyribus, & Confesso-
ribus, quibus fortissimæ, quas à Dæ-
monibus habuerunt, tentationes, &
grauissimæ, quas ab hominibus passi
sunt, persecutiones, quia restiterunt,
& pugnârunt, nec iniquitati consen-
serunt, non solum nihil nocuerunt,
sed etiam per illas ascenderunt ad cul-
men sanctitatis, ac perfectionis, quam
habuerunt, & ad sublimitatem gloriæ,
quam in cælo consecuti sunt. Atque
ita vera omninò est illa Sancti Chry-
sostomi sententia, neminem lædi, nisi
à seipso: siquidem verum hominis bo-
num est virtus, & animæ sanctitas, &
omnia malâ, damnâque temporalia fa-
cultatum, honoris, ac vitæ, si ea patien-
ter, humilitérque accipit, non ipsum
lædunt,

lædunt, sed ad virtutem magnoperè
 iuuant; & si ea malè cum peccato ali-
 quo mortali accipit, ideòque ipsi ad
 virtutem obsunt, tunc homo ipse est,
 qui damnum totum, quod inde acci-
 pit, sibimet infert. Hoc Sanctus ex-
 plicat his verbis: *a Virtus, & verum
 hominis bonum non sunt diuitia, nec sa-
 nitas corporis, nec alia bona tempora-
 lia, quæ auferri ab eo, etiamsi nolit, pos-
 sunt, sed Fides, quâ rectè sentit de Deo,
 & charitas, quâ rectè inter homines agit:
 hæc bona si habeat, auferre ab inuito
 nullus omnino potest. Etiam si omnis con-
 tra eum coniuuret orbis, etiamsi summus
 omnium potentium, & principum ter-
 ræ contra eum furor saniat, etiamsi om-
 nes hostes, ac Dæmones in eius perdi-
 tionem, & ruinam intenti sint, modò
 ipse virtutem peccando deserere no-
 lit, sed in eâ solidus perseueret resi-
 stendo, nullum damnum accipiet; sed
 incomparabile lucrum: adeòque cer-*

*tissimi-
 a D. Chr. hom. quèd nemo leditur, nisi
 à seipso.*

tissima veritatis est, neminem lædi, nisi à seipso. Et quamuis omnes terræ, marisque habitatores conspirent, *nisi qui se ipse læserit, ab ijs non potest lædi.* Hæc sanctus Chrysostomus. Fundaturque in eo, quod dicit Spiritus Sanctus, per Sanctum Petrum Apostolū: *Non est, qui vobis noceat, si boni amatores, virtutumque veri amatores fueritis.*

a 1. Petr. 3.

Incipit tractari de rebus, in quibus peccati mortalis gravitas cognoscitur: & in primis declaratur eius gravitas, quia est contra Deum.

C A P. VI.

Divina Scripturæ, rationisque naturalis lumen nos docet, tantò maiorem iniuriam aliquam, & offensam esse, quantò persona, quæ iniuriâ afficitur, & offenditur, præstantior, honoreque dignior est. Vnde ad cognoscendam, sentiendamq; peccati mor-

mor-